Belgium Hispanicum à milite et pecunia destitutum tanto turpiori metu tumultuatur, quo citius ingruentem à Gallia tempestatem prævidere potuit. Officiales atque Gregarius miles, militiam deserunt. Ipse Marchinus Imperator Leodium in patriam abiturus fertur. Caroli regia nova munitio Bassea, Armenteria, aliaque quantumvis egregie munita oppida, quæ teneri posse desperant, Hispani mænibus et munimentis nudata, tanquam imbecillitatis confessio terrorem populorum augent. In Hispania rerum dies consultando teruntur. Cæsar Leopoldus hastiludijs Viennæ, Laxemburgi convivijs, piscationi et venationi intentus, sua et gentilium pericula et damna negligit. Illo loco sita sunt Belgij res, ut nisi assertore Angliæ rege cujus amicitiam omnes ambiunt, salvæ esse nequeant.

21 Maij. Sveci Poloniæ regi per Legatum ultro auxilia offerunt insidiosa. Rex cum conjuge successoris negotium denuo urgent. Ecclesiastici in partes tracti. Nobilitas refragatur.

Sveci uno tempore nec Bremenses metu nec vicinos suspicionibus exsolvunt: et Gallis contra Hispanos suspicionibus exsolvunt: et Gallis contra Hispanos armorum societatem, Polonis contra Tartaros et Cosaggos auxilia offerunt, Gallorum commodis devoti, et qui olim gloriosæ libertatis instrumentum alijs, ac postremo sibi servitutem imponent.